



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

274 Annexa dependenter.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

crationes, Ecclesiastica beneficia, ius patronatus, aliaque id genus. quibus ibidem Nauarrus adnumerat aquæ baptismalis & lustralis benedictionem, exorcismum, catechismum, beneficiorum Ecclesiasticorum collationes, renunciationes, & similia. pertinere reor eodem solènes benedictiones cereorum, ramorum palmarum, granorum rosarij, Agnorum Dei, panum, campanarum deniq; vel aliarum rerum, quin & Sanctorum canonizationes, cum reliquiis eorundem. Quod quidem tertium postremumque spiritualium genus in duos rursus gradus aptè subdistinguitur, quandoquidem alia plus habent spiritualitatis (vt ita cum nostris loquamur) & minus corporalitatis, & à spiritualibus omnino dependent; vt Ecclesiastica tum beneficia tum officia, quæ non Christiano cuiilibet sed solis competunt clericis vt hominibus diuino cultui singulariter destinatis: Alia verò plus habent corporalitatis vel temporalitatis, minus autem spiritualitatis, & à spiritualibus non dependent sed ad spiritualia duntaxat ordinantur seu referuntur, & ordine temporis vsus spiritualium præcedunt, & in hominis cuiuslibet Christiani quantumlibet non clerici sed laici possunt esse quadamtenus potestate, sicuti sunt ius patronatus, iura sepulturarum, calices, & alia vasa sacra, cum vniuersa supellectili sacra; quæ subinde priuatorum est, non clericorum solorum sed & laicorum sacella vel domi suæ vel in publicis Ecclesiis habentium. qualia spiritualia laicis etiam

273  
Spiritualia  
per annexio-  
nē b'fariam  
subdistingui.

274  
Annexa de-  
pendenter.

275  
Annexa an-  
tecedenter.

276  
Res quedam  
sacra priua-  
rum qua-  
damtenus.